2606/P

TENTAMEN MEDICUM

DE

PHRENITIDE VERA,

Quod Deo duce & auspice Dei-Parâ, in augustissimo Ludovicæo Medico Monspelienſi, publicis subjiciebat disputationibus Joannes-Philippus-Josephus Guitter, Rupiservarius, è Partitione dictâ *la Vendée*, Liberalium Artium Magister, & jam-dudùm Medicinæ Alumnus. Pro trimestri Januarii 1791.

Ad gradum Baccalaureatûs consequendum.

MONSPELII,
Ex Typis Josephi-Francisci Tournel, Universitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

1791.

TENERRIMÆ, CARISSIMÆ

MATRI,

Has in Arte medicâ primitias, in amoris pignus, reverentiæ, pietatis monumentum,

Dicat, vovet, consecrat

Obsequentissimus &
addictissimus filius
J. P. J. GUITTER.

TENTAMEN MEDICUM

DE

PHRENITIDE VERA.

DUPLICEM, communi consensu, phrenitidis speciem *veram* nempè & *symptomaticam*, agnoverunt auctores : utraque capitis interiorum affectio ; originis verò, nec-non sæpiùs naturæ habitâ ratione, suum unicuique nomen comparatur ; illa primariò, in scholis *idiopathicè* : posterior secundariò, *symptomaticè*, oritur : circà hanc nihil aggredimur. Ipsiusmet sermo, ad morborum historiam innu-

merorum ferè quibus accedit ſymptoma , debet revocari : de priore quædam diſſerere hîc tantùm animus eſt.

Delirium ergò perpetuum , ferox plerumque , cum acutâ febre ſociante , à cerebri vel ipſius membranarum primariâ , nec-non inflammatoriâ affectione ortum , phrenitidem *veram* , *eſſentialem* , nuncupamus. Qui morbus , fato ſanè non adverſo , quàm maximè rarus : juvenes præprimis , floridâ vitâ , imò vegetiori gaudentes , ruſticos , operarios duris gementes laboribus , vere & æſtate ſæpiùs invadit. Ii enim lauto & abundantiori ſanguine , compage robuſtâ , corpore quaſi athletico pollent. Talem porrò hominum conditionem ad inflammationes pronos admodùm facere conſtat experientiâ.

Quamplurimæ cauſæ phrenitidi producendæ aptæ poſſunt numerari : præcipuæ verò , ut ut frequentiores , ad has referuntur ; vini , ſpirituum , ciborum acrium , calefacientium abuſus , per longos & æſtivos ſoles ambulatio , mentis labores aſſidui , vigiliæ nimiæ , valida animi pathemata , ira , amor , mœror , &c. ad caput ictus aut delapſus.

Ex his quandòque morbus totus efficitur ; ægri repentè in febrem & delirium , imò in furias aguntur ;

aliquoties verò deſipiunt pedetentim, morbuſque per gradus adoleſcit. Diſpoſitus ergò ſi quis exempli gratiâ, ſoli diutiùs maneat expoſitus, revertens ad domum, dolore capitis, calore ingenti, urenti, afficitur: facies rubet ac non nihil turgeſcit. Oculi ſanguine ſuffuſi prominent; lingua ſicca albidum refert colorem; pulſus durus & citatior deprehenditur; urina tenuis, pallida excernitur; ſomnis horrendis turbatur ægrotans, leviter incipit deſipere, obliviſcitur brevi quod dixit aut egit: hæc incipientis ægritudinis ſigna: ni ſubitò afferantur remedia ad malum ſolvendum idonea, phrenitis adſcendens mox ſumma producitur. Æger aliquandò placidè ac tranquillè delirat; ſæpiùs autem in ferociam abit; cuſtodes minatur, medico, amicis inſultans; è lecto exſilire conatur: in adſtantes ruens manu vel dente laceraret: per feneſtram miſer ſe daret præcipitem: membra convelluntur; dentibus ſtridet acerrimè inter tendinum ſubſaltus aut tremores. Si paulò compeſcant hi motus violentiores, floccos carpit phreniticus, feſtucas avellit, muſcas venatur; oculi rubri, truces, protuberant, facies adſpectu horrenda; reſpiratio magna & rara, ut vocant, pulſus durus, quàm maximè celer; largi ſudores, lotium exiguum, fœces pauciſſimæ excernuntur.

Quæ omnia in phrenitide ſemper non occurrunt : ex quorumdam autem horum ſymptomatum concurſu ſatis habetur diagnoſis. Periculoſiſſimum morbum, nemo non agnoſcit, phrenitidem ; paucos enim intrà dies, ægros è medio tollit : quandò res aliter, deſinit multoties in coma, lethargum, catalepſim, in maniam incurabilem, in imbecillitatem animi. Quædam ſunt ſymptomata quibus funeſtus eventus prævideri poteſt ; de his audiatur celeber. *Boërhaavius*, *aphor.* 774, *n°.* 5. « Vomitus æru-
» ginoſus, ratione inflammati cerebri, ſputatio
» frequens & indecora in adſtantes, tremor, fæx
» alvi & urina interceptæ, vel albæ, urina cruda,
» convulſio, venatus floccorum volitantium, oculi
» pulverulenti, dentium ſtridor, permutatio ſymp-
» tomatum perpetua, ulceris tumentis ſubſidentia,
» frequentia ſunt præſagia periculi ſummi & mor-
» tis. »

Morbo jamjam definito, cauſis, diagnoſi, prognoſi, per pauca expenſis, ad curationem deſcendimus.

Inflammationem capitis interiora occupantem, ad reſolutionem conducere, hîc præcipuè ſtruitur indicatio. Ea autem inflammatio, per dolorem

capitis acutum, calorem urentem, pulſuûm duriciem, imò per omnia adeſſe probatur. Phrenitis ergò haud ſecùs phlogiſtici morbi in genere tractanda judicatur. Hæc tamen merentur obſervari: venæ-ſectio larga debet inſtitui: ſanguis potiſſimùm ex venis juguli detrahendus: hirudines ad tempora, ad anum applicandæ, lenia purgantia propinanda: clyſmata mollia injicienda: veſicantia ad ſuras, ad nucham, omnia ut-potè revellentia, debent advocari. In ſummo morbi ſtadio hauriendum opium. Caput ſi fieri poſſit, abradendum: frigidâ aquâ linteis madidis refrigerandum; corpus erectum tenendum. Potus intereà copioſus, aquoſus, diluens, ut in materiâ medicâ videre eſt, antiphlogiſticus.

Quæ quidem omnia citiſſimè, vicibus plùs minùſ-vè recurrentibus pro intenſitate morbi, pro circumſtantiis à clinico judicandis, adhibenda ſalutamus.

VIRI PATRES, INDULGETE, PRECOR.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ,
Universitatis Cancellarius.

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.